ISLANDIA.

ISLANDIA inter varias Oceani occidentalis insulas quæ Norvegiæ Regno subiectæ sunt, est maxima: & in littoribus maris passim ab hominibus ex piscatu potissimum, & re pecuaria viuentibus, incolitur. Mediterranea verò loca ob alpium altissimarum perpetuis fere niuibus obrutarum asperitatem, infrequentiora sunt. Panis bis coctus (quo non nisi importato lautiores vtuntur: ceteri enim pisce siccato panis loco vescuntur) farina, polenta, cereuisia, ferrum, cuprum, pannus Anglicus & institorum merces, classibus aduehuntur quotannis per diuersos mercatores, qui vicissim piscium frigore duratorum, strues, & sulphures ibidem effossi moles, Balenarum pinguedinem, butyrum, scuum, coria boum, raias & pannum VVARMAN euehunt. Duo in tota insula Episcopi sunt, qui ex Academia Hafnensi eo mittuntur, quorum alter boreali insulæ parti præest, & in Halar 3:0.67:14. alter meridionali in Schalholt 3:24.65:42. sedem habet. Ac vterque tenuem scholam latinam ædibus addunctam habet, in qua vigintiquatuor pueros suo sumptu alere & erudire tenetur.

Islandia (inquit Georgius Agricola) tres sunt montes elati in cælum, quorum vertices perpetua niue candent, radices sempiterno æstuant igne. Primus vocatur Hecla 6: 0.65:39. alter Crucis, tertius Helga, id est sanctus. Ab Hecla non longè absunt fodinæ sulphuris, pene vnicum incolarum mercimonium, & vectigal insulæ: Mercatores enim naues eo onustas eucehunt. Mons ipse cum furit, vt horribilia tonitrua insonat: proijcit ingentia saxa: sulphur euomit: cineribus egestis terram tam longè circum circa operit, vt ad vigesimum lapidem coli non possit. Qui naturam tanti incendij contemplari cupiunt, & ob id ad montem propius accedunt, eos vna aliqua voragoviuos absorbet; nam & multæ sunt, & cineribus ita tectæ, vt ab ipsis sibi satis cauere nemo possit. Atq; etiam prope exit ignis qui consumit aquam, & stupam non comburit. Hodie hæc insula vna cum Regno Norvvegiæ Regi Daniæ subiecta est, & ab ipso Præfectum accipit, qui in arce Bestede 360:36. 65:21. sedem suam tenet.

Meridiani distant ratione 66:30. paralleli ad circulum maximum.

II